



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, 1709**

XXIX. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Luthardus Comes Clivæ, rara avis in au-  
lis, Juventutem in vitæ innocentia, devo-  
tione, vitæq; austeritate transegit, hæreditatem  
paternam MARIÆ honori expendit, eidem  
templa & Monasteria erigendo. *Mayr.* His gra-  
dibus divites cœlum petunt.

S. Lutharde ora pro me Deiparam, ut deli-  
cta Juventutis & ignorantias meas ita expiem,  
quatenus dignum & idoneum DEI gratiarum  
recipiendarum templum fiam: impetra ut affi-  
duam finis ultimi memoriam habeam, quæ  
me retrahat à veteribus malis, & ad ea impel-  
lat, quæ mihi agonizanti solatio sint futura.  
O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima!  
ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde,  
omnibusque tam corporis, quàm animæ viri-  
bus centies millies, imò infinities te saluto: te  
omni possibili omnium possibilium & actua-  
lium creaturarum affectu amare &c. *f. 190.*

Ad quod impetrandum: Cum S. Joanne,  
qui primus DEI Matrem salutavit, conabor  
& ego primam evigilantis cognitionem ad  
eamdem DEI Matrem salutandam conver-  
tere.

Quis apud filium accusare illum audeat,  
cui Matrem viderit patrocinantem. Si ipsa  
est, quæ justificat, quis est qui condemnet?  
*Rick. à S. Laur. l. 2. de B. V.*

Quæstio: An B. V. decollationi S. Joannis  
hodiernæ interfuerit? *v. Nieremb. de amo B. V.*